

/ Admodum Illustris Domine. Ignoscat mihi D.Vestra, si respondeo, quod olim respondit S.Bernardus Comiti Teobaldo: Canonicatus, et alia ecclesiastica beneficia non debere conferri in pueros, sed in homines graves, et bene meritos. Florentius noster adhuc puer est, 5 vel certe adolescentulus, et hoc anno incepit curriculum philosophiae; itaque expectandum existimo, ut absolvat curriculum philosophiae; et aliquo usque progrediatur in Theologia, et tum demum cogitemus de beneficiis ecclesiasticis. Certe Concilium Tridentinum sess. 24 c. 12 statuit: Canonicos omnes debere esse presbiteros, aut 10 diaconos, aut subdiaconos; et non posse dari canonicatum nisi iis qui habent aetatem, quam requirit ordo sacer canonicatui annexus. Et quamvis sciam aliquando dispensari in hujusmodi statutis, tamen non debet dispensatio dari, nisi justis de causis; alioquin dissipatio, non dispensatio dicenda est. Quae causa sit, cur cum Florentio 15 dispensari debeat, nescio. Summa est: cupio Florentio omnia bona, sed nolo Deum offendere, ut hominibus placerem. Petat à me D. Vestra quae sine scrupulo conscientiae praestare possim, et inveni et me ad omnia paratissimum. Opto D.V. bene valere. Romae die 14 Junii 1613.